

Leptura tesserula.

L. aterrime, elytris testaceis, puncto in utroque elytro medio atro angulato, apicibus atris.

Habitat in Hungaria australi.

Statura *Lept. tomentosae*, sed major; totum corpus exceptis elytris aterrimum, nitidum, pilis aureis quodammodo sericeum.

Caput rotundatum, collo distincto, punctis impressis numerosissimis obsitum, antennis subserratis.

Thorax globosus, postice angulis subacutis, cum scutello aterrimus, punctis impressis majoribus, sed paucioribus quam in capite.

Elytra in basi thorace sunt latiora, profunde sinuata, in apice oblique truncata: punctis numerosis impressis obsita, versus humeros majoribus, versus apicem minoribus. In unoquoque puncto est setula aurea, retro spectans, ut in pluribus *Lepturis* solet. Color elytrorum testaceus atque in medio singulorum elytrorum est punctum atrum triangulare vel angulatum: apex est distincte et late atro terminatus. In foeminis conspiciuntur lineae quaedam longitudinales lucidiores seu nitidiores, quibus mas carere videtur. Sutura plane non atra.

Pectus cum abdomine aterrimum, glabrum, nitidum, punctatum, pilis parvis obsitum.

Pedes atri, punctis impressis.

Leptura distigma.

Tab. IX. fig. 1. mas.; fig. 4. foem.

L. atra, elytris maris purpureis immaculatis, foeminae miniaceis, apice et maculis duabus mediis, nigris pictis.

Comes de Hoffmannsegg in litteris.

Dej. Cat. pag. 113.

Habitat in Lusitania et Hispania.

Differentia sexus tanta est, ut specimina utriusque sexus non pro mare et foemina habuissem, nisi iis ab inventore schedula affixa fuisset, quae hac de re me certiore faceret.

Mas mediae magnitudinis, *Lepturam atram* aequans. Corpus nigrum, nitens, pilis parvis auro nitentibus sparsum, et punctis parvis paucioribus impressis.

Caput cum thorace nigrum punctis impressis scabrum, nonnihil pilosum.

Thorax globosus, antice coarctatus, postice subspinosus. Scutellum parvum, atrum.

Elytra atro-purpurea, apice truncata, margine et sutura paululum elevata; punctis multis impressis, in quibus singulis seta est parva, atra, inclinata, ad apicem elytri spectans. Pedes atri.

Foemina mare major, latior; abdominis segmenta quinque ultima rubra. Elytra laete coccinea vel miniacea: eadem atque in mare structurâ. Setae in punctis impressis positae aurei sunt coloris, ita ut certo situ toti elytro nitorem praebeant aureum. Apex elytrorum ater et macula magna rotundata atra in utriusque elytri medio, basi tamen propior quam apici. Femora tibiaeque laete rubra, in basi apiceque nigra: tarsi nigri.

Leptura stragulata.

Tab. IX. fig. 7. 8. 9.

L. pectore, thorace capiteque nigris: elytris testaceo-luteis, ad apicem et ad suturam nigris.

Illiger in litteris.

Germar Ins. pag. 523.

Habitat in Lusitania.

Diagnosis hujus *Lepturae* difficillima est, neque in omnia quadrat specimina, quae in numerosissimis varietatibus occurrunt.

